



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

17. An Inquisitores possint procedere contra iudices laicos, si remissius
agant cum Hæreticis sibi relictis, & pœnam mortis per ignem non
imponant? Et aduertitur in tali casu tam inquisitores, quam ...
-

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

Et Potestate Inquisitorum. Ref. XIV. &c. 423.

Decianus in direct. crim. lib. 1. cap. 2. n. 6. & inclinatur Calderinus tract. de heret. cap. 8. n. 9. Verum mihi negativa sententia placet, quam tenet Azorius tom. 1. lib. 8. cap. 18. q. 14. Eymericus in direct. Inquisit. part. 3. q. 30. & ibi Peña comm. 79. Mandosius in addit. ad reperi. Inquisit. ver. Episcopus lit. B. & ver. Inquisitor. lit. D. cum aliis, potest tamen Episcopus secretò recipere testes contra Inquisitorem de heresi suspectum, & informationes mittere ad Romanum Pontificem. Attamen in duobus casibus potest, his non obstantibus, Episcopus procedere contra Inquisitorem. Primò quando crimen est notorium, sed in his cautè procedant Episcopi, ne potius ratione scandali damnum inferant, quam utilitatem. Secundò quando dimisit Officium Inquisitoris, & ita docet Rojas singul. 109. & Geminianus in cap. Inquisitores, de heret. in 6. & ibi Franchus num. 1.

RESOL. XIV.

An Inquisitores possint punire illos, qui factis, aut verbis, ipsi injuriam fecerint? Ex part. 4. tract. 8. Ref. 91.

Quoad hoc in ex. Ref. 10. lege doct. §. ult. & ibi in aliis quæ not.

§. 1. **R**espondeo affirmativè cum Bobadilla in polit. ro. 1. lib. 2. cap. 17. n. 114. ubi sic ait: Podrán los Inquisidores proceder contra los que los injurian, porque no solamente son ellos los ofendidos, sino tambien el officio de la Inquisición y la Yglesia, y la fe. Sic ille, qui in glossa lit. D. citat Zanchinum & Decianum, quibus ego addo Simancam in cathol. institut. tit. 24. n. 28. ubi ita asserit: Poterunt quoque Inquisitores punire illos, qui factis, aut verbis ausi fuerint ipsi Inquisitoribus injuriam facere, ac tanto quidem id magis, quanto sanctius & venerabilius esse debet eorum officium, quam aliorum omnium judicium. Hæc Simanca.

RESOL. XV.

An Inquisitores possint procedere contra Magistratus, eorum mandatis non obediētes? Ex part. 4. tract. 8. Ref. 65.

§. 1. **R**espondeo affirmativè, quia Magistratus qui non obtemperat Inquisitorum mandatis, & præstare auxilium recusat, est suspectus de heresi, ideo potest apprehendi, & jurisdictione sua privati, per ea quæ adducit Rebuffus tom. 2. ad leg. Gallie, tit. de litteris Inquisitoris, in principio n. 20. Menochius de presumpt. lib. 1. presumpt. 6. n. 31. & alij. Vnde tenetur literas & mandata DD. Inquisitorum sine mora exequi, & illorum officio nullatenus impedire, ut docent Mendez de Castro in praxi Lusit. lib. 2. cap. 1. n. 19. Bobad. in polit. tom. 1. lib. 2. cap. 17. n. 81. Azeved. in recapit. lib. 4. tit. 1. leg. 15. n. 7. Simanca in cathol. institut. tit. 23. n. 9. & Lucerna Inquisit. ver. impediētes, n. 1. vide cap. ne aliqui §. compescit, de heret. in 6.

RESOL. XVI.

An Inquisitores possint cogere Dominos, & Magistratus, qui fecerunt aliqua Statuta, & Decreta impediētia eorum jurisdictionem, ut illa revocent?

Et an Inquisitores possint invocare auxilium brachij secularis pro capiendis hereticis, & eorum credentibus, tutoribus, &c. ac omnibus aliis de heresi damnatis, aut suspectis; & ideo si Magistratus negligentes, aut contumaces fuerint in hoc auxilio præstando, possint Inquisitores eos excommunicare, honore privare, & aliis penis pro qualitate delicti coercere?

Et an incarceratus pro quibuscumque delictis etiam atrocissimis apud judicem seculari statim remittendus sit ad Tribunal S. Officij, quandocumque petatur, ob negotium fidei à Dominis Inquisitoribus? Ex part. 4. tract. 8. Ref. 104.

§. 1. **R**espondeo affirmativè, ex cap. statum de heret. in 6. & ex Bullis Alexand. IV. Ignoc. IV. & Urbani IV. & ideo omnia hujusmodi statuta, seu leges directæ, vel indirectæ, officium Inquisitionis impediētia, sunt ipso jure nulla, neque subditi dictis legibus tenentur obedire, ut contra Ecclesiæ Catholicæ leges promulgatis. Vnde Inquisitores in tali casu possunt sub pena excommunicationis & aliis penis contra fautores hereticorum decretis adversus tales statuentes procedere, & ita docet Zanardus in direct. Theol. par. 1. præc. 6. q. 28. Barbosa in collect. tom. 3. lib. 5. tit. 2. cap. 10. Zanchinus de heret. c. 31. n. 6. Eymericus in direct. p. 3. q. 34. & ibi Peña comm. 83. Vmbertus Locatus in praxi Inquisit. Domini temporales, n. 5. & in ver. ordinario, n. 1. & alij. Item Inquisitores possunt invocare auxilium brachij secularis pro capiendis hereticis, & eorum credentibus, tutoribus, &c. ac omnibus aliis de heresi damnatis, vel suspectis. Ideo si Magistratus negligentes, aut contumaces fuerint in hoc auxilio præstando, poterunt Inquisitores eos excommunicare, honore privare, ac aliis penis pro qualitate delicti coercere, ex cap. ut officium, §. denique, de heret. in 6. & cap. ad abolendam, §. penult. & cap. excommunicamus, §. moneantur, de heret.

2. Notandum est etiam hic obiter incarcerationum pro quibuscumque delictis etiam atrocissimis apud judicem seculari statim remittendum esse ad Tribunal S. Officij, quandocumque petatur ob negotium fidei à DD. Inquisitoribus, stante Constit. Pij V. cujus meminere Simanca in fine tract. de cathol. institut. & Peña in addit. ad tr. de strigis. Vide etiam Ioseph. Sesse de inhibiti. c. 30. n. 52. & seq. Verum si aliquis damnatus ad mortem dicit aliquid hereticum, ut eo prætextu mors differatur, si talis antea de heresi non erat suspectus, remittendus non est ad Inquisitores, quia tali dolus, vel fraus patrocinari non debet. Ita Rojas singul. 107. n. 5. & alij.

RESOL. XVII.

An Inquisitores procedere possint contra judices laicos, si remissus agant cum hereticis sibi relictis, & panam mortis per ignem non imponant?

Et advertitur in tali casu tam Inquisitores, quam quoscumque alios Ministros, & Consultores ab omni irregularitate immunes esse ex motu proprio Pauli IV. & Pij V. Ex p. 1. tit. 2. Ref. 135. aliis 134.

§. 1. **C**hristophorus Anguianus ex neotericis Iuristis consultis Hispanis, vir doctus, & Lector pri-marius Iuris Pontificij in Academia Complutensi, tract. de legib. lib. 3. contr. 31. a n. 37 usque ad 44. negativam sententiam sustinet, & mordicus docet, in tali casu Dominos Inquisitores non posse contra judices laicos procedere.

2. Sed etiam contrariam sententiam omnino amplectendam esse existimo: quia judices laici in isto casu sunt meri executores, & tenentur, juxta leges, statim hereticum ad mortem dānare, ut tradunt communiter DD. quos citat Cenedus ad decret. collect. 55. n. 2. quibus ego addo Suarez de Paz in præf. tom. 2. præf. 2. n. 30. Io. de Hevia in Curia Philip. part. 3. §. 3. num. 19. Mendez

N 2

in praxi Lusitana, lib. 2. c. 1. n. 16. & Miranda in ordine judicario tom. 1. q. 1. a. 5. conc. 6. Et sic aliter facientes, tanquam fautores Hæreticorum habentur. Vnde apparet, non bene Angustanum n. 39. asserere, quod nullo jure probatur, Inquisitores se posse ingerere ad puniendos supradictos Iudices: nam jura præbent jurisdictionem Inquisitoribus, puniendi fautores Hæreticorum. Sed dicti Iudices, non punientes poena mortis Hæreticos, tanquam fautores illorum habentur. Ergo possunt per dicta jura, contra illos, Domini Inquisitores procedere. Et ita mecum sentit Pegna in Direct. Inquis. part. 3. commen. 85. ubi ponit verba Innoc. VIII. quæ hanc sententiam firmant. Vide etiam Farinacium, tract. de hæresi, q. 185. n. 162. & Sanctarellum etiam tract. de hæresi, c. 60. dub. 4. n. 23.

3. Notandum est, etiam non bene asserere Angustanum n. 42. quod si Inquisitores procedere possent adversus tales Iudices, sequeretur absurdum, nempe, quod iscurrerent in irregularitatem: nam respondeo cum Cenedo in pract. qq. 15. n. 5. Mentiquez lib. 14. c. 12. n. 5. in Glossa, lit. D. Avila de cons. part. 7. disp. 5. scilicet. 2. dub. 2. Medina in summa, lib. 1. c. 1. §. 10. reg. 4. Sanctarellode Hæresi, c. 26. dub. 1. n. 8. & aliis, in tali casu Dominos Inquisitores, instando, ut exequatur sententia, non incurrere irregularitatem, ut infra etiam patebit.

4. Manet igitur explosa sententia Angustani. Sed adversus Iustitiam Complutensem, Theologus Complutensis videatur: est Petrus Lorca in 2. 2. D. Thom. q. 11. art. 4. disp. 49. n. 9. ubi asserit, Iudicibus secularibus omne arbitrium circa executionem sententiæ Hæreticorum sublatum esse, non obstante illa obsecratione, quam Inquisitores præmittere solent, quando reum brachio seculari tradunt, petentes, ut cum eo misericorditer se gerant: nam obsecratio illa inventa est, ut Iudices Ecclesiastici evaderent irregularitatis periculum, per quam tamen nihil committitur arbitrio Iudicis secularis, sed solum protestatur Ecclesia affectum suum, quo, quantum est in se, averfatur poenam sanguinis, & nolle, si fieri posset, eam inferre. Sed, quia talis protestatio non tam efficax poterat apparere ad irritandam irregularitatem, ideo Paulus IV. & Pius V. motu proprio decreverunt, tam Inquisitores, quam quoscunque ministros, & Consultores, ab omni irregularitate immunes esse, quomodocunque ad condemnationem Hæretici concurrant. Ita Lorca, ubi supra. Dicendum est igitur contra Angustanum, in supradicto casu Dominos Inquisitores posse contra Iudices laicos per censuras procedere. Sed ad aliam questionem, circa jurisdictionem Inquisitorum, deveniamus.

RESOL. XVIII.

An Inquisitores possint compellere Iudices laicos negligentes exequi sententiam ab eis latam contra Hæreticum?
Ex p. 4. tr. 8. Ref. 26.

^{Sup. hac doctrina lege doctrinam duarum ref. hanc sequitur, & infra Ref. 68. per totam.}
§. 1. De hac questione alibi egimus, ideo nunc dico breviter quod si Iudex laicus non vult aliquem Hæreticum, possunt illum compellere per censuras, & ex hoc inquirere contra illum, tanquam fautorem Hæreticorum, etiam si differat sententiæ executionem sub prætextu quod sit injusta, quia nullo pacto potest se intromittere in cognitione causarum Hæreticalium. Et hæc omnia docent Pegna in Direct. Inquis. p. 3. q. 36. commen. 85. Campegius in addit. ad Zanchinum, c. 8. Vmbertus Locatus in praxi Inquis. ver. Index, n. 57. & 66. Mandos in repet. Inquis. ver. executio lit. B. Iacobus Simanca in cathol. instit. cit. 66. n. 3.

RESOL. XIX.

An Index laicus a suo legitimo Superiore, & non ab Inquisitoribus compellendus sit, ut Hæreticum mortuodat? Ex p. 4. tr. 1. Ref. 59.

§. 1. A suo Superiore, & non ab Inquisitoribus compellendum esse docet Seraphin. Freitas in novis addit. de Confessar. solicit. q. 2. n. 78. ubi sic ait. Hinc fit non videri veram sententiam Felini in cap. ad abolendam, de hæresi, dum resoluit Inquisitores procedere posse contra Iudices seculares, si Hæreticos libi relictos non puniant ignis supplicio, hoc enim attentio jure falsum esse constat, quia Inquisitores non condemnant ad mortem, nec illi ordinant sententiam sed relinquunt Hæreticos, & a suo foro dimittunt unde licet Iudex secularis non possit immutare poenam jure, aut consuetudine præscriptam, ad eam tamen imponendam compelli debet non ab Ecclesiastico, sed a suo legitimo Superiore. Ita ille.

2. Sed hanc sententiam ego satis reprobavi in p. 1. tr. 2. resol. 134. ubi ex multis DD. docui Inquisitores in tali casu posse per censuras procedere contra Iudices seculares, ut Hæreticos igni tradant sine metu irregularitatis, & punire dictos Iudices tanquam fautores Hæreticorum, & hæc opinio patet ex Bullis Urbani IV. Clementis IV. & Innocentii IV. quas adducit Campegius in addit. ad Zanchinum de hæresi, cap. 8. lit. regulam contra i. ubi late docet hanc sententiam, & post illum Pegna in Direct. Inquis. part. 3. quest. 36. commen. 85. ubi ex rationibus, Doctorum auctoritate, & ex Bullis Pontificiis solide firmat, posse Inquisitores compellere per censuras Iudices laicos ut mandent executioni sententiam a se latam, & hæc est communis sententia Doctorum, fundata in supradictis Bullis Pontificiis. Vnde maxime doleo Freitas alioquin virum doctum, & de facto Tribunali bene merentem, contrariam sententiam docuisse.

RESOL. XX.

An Inquisitores possint habere familiam armatam? Et an Domini temporales impediunt supradictos, & familiam armatam Inquisitorum pro delatione armorum possint ab ipsis puniri, tanquam turbatores Officii Sacra Inquisitionis? Ex p. 4. tractatu 8. Refol. 31.

§. 1. Respondeo affirmativè cum Zanardo in Direct. Theolog. part. 2. cap. 6. q. 15. & patet in Clementi nolente, §. porro, de hæresi, & per DD. quos ego adduxi in tract. 2. de immunit. Eccles. Refol. ult. Vide etiam Sinape, que in cam in Cathol. instit. tit. 34. num. 23. & in 41. Campegius in addit. ad Zanchinum tr. de hæresi, cap. 31. lit. A. Rojas singul. 21. num. 8. & Pegnam in Direct. Inquis. part. 3. quest. 36. commen. 103. ubi docet hanc armorum licentiam non solum Inquisitores posse dare Officialibus destinatis ad denunciandos Hæreticos ad comitandos Inquisitores, vel ad capiendos Hæreticos, sed etiam cæteris ministris, qui quavis alia ratione S. Officio inserviunt, veluti Advocatis, Notariis, Consultoribus, custodibus, &c. Et ita hanc sententiam docet etiam Duardus in Bull. Camlib. 2. can. 1. quest. 33. num. 24.

2. Vnde ex his sequitur quod Domini temporales supradictos & familiam armatam Inquisitorum pro delatione armorum, possint ab ipsis puniri tanquam turbatores Officii Inquisitionis, ut notat Card. Zabarella in Clem. 2. §. porro, num. 9. & Pegna ubi Ref. 14. supra.